

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Livius, Titus

Berlin, 1881

Iulii Obsequentis ab anno urbis conditae DV du prodigiorum liber

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4506)

IVLII OBSEQVENTIS
AB ANNO VRBIS CONDITAE DV PRODIGIORVM
LIBER.

1 [55 Lyc.]. L. Scipione C. Laelio consulibus Iunonis Lucinae templum fulmine ictum, ita ut fastigium valvaeque deformarentur. in finitimis pleraque de caelo icta. Nursiae sereno nimbi orti et homines duo exanimati. Tusculi terra pluit. mula Reate peperit. supplicatio per decem pueros patrimos et matrimos totidemque virgines habita. 5

2 [56]. M. Messala C. Livio consulibus luce inter horam tertiam et quartam tenebrae ortae. in Aventino lapidum pluviae novendiali expiatae. in Hispania prospere militatum. 10

3. *Sp. Postumio Albino Q. Marcio Philippo consulibus* sacrum novediale factum, quod in Piceno lapidibus pluit; ignesque caelestes multifariam orti levi afflatu complurium vestimenta adusserunt. aedes Iovis in Capitolio fulmine icta. in Umbria semimas duodecim ferme annorum inventus aruspicumque iussu necatus. Galli, qui Alpes transierunt in Italiam, sine proelio eiecti. 15

4 [59]. M. Claudio Q. Fabio Labeone consulibus in area Vulcani per biduum, in area Concordiae totidem diebus sanguinem pluit. in Sicilia insula nova mari nata. Hannibal in Bithynia veneno periit. Celtiberi subacti. 20

5 [60]. L. Aemilio Paulo Cn. Baebio Tamphilo consulibus procellosa tempestas strage in urbe facta signa aenea in Capitolio deiecit, signa in circo maximo cum columnis evertit, fastigia templorum aliquot a culmine abrupta dissipavit. mulus tripes Reate natus. aedes Apollinis Caietae fulmine icta. 25

6. *P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo consulibus* in area Vulcani et Concordiae sanguinem pluit. hastae Martis motae.

Abweichungen von der Ausgabe Jahns (Lipsiae MDCCCLIII).

5. *et*] hinzugefügt nach HHaupt. — 10. *Sp. Postumio Albino Q. Marcio Philippo consulibus*] ergänzt nach Oudendorp. — 18. *area*] nach Luterbacher; Ald.: *ara*. — 19. *mari nata*] nach Scaliger; Ald.: *maritima*. — 26. *P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo consulibus*] ergänzt nach Hearnus.

Lanuvii simulacrum Iunonis Sospitae lacrimavit. pestilentiae Libitina non succedit. ex Sibyllinis supplicatum, cum sex mensibus non pluisset. Ligures proelio victi deletique.

- 7 [61]. Q. Fulvio L. Manlio consulibus nimbis continuis in
5 Capitolio signa aliquot dejecta. fulmine Romae et circa plurima decussa. in lectisternio in foris terrae motu deorum capita se converterunt; lana cum integumentis, quae Iovi erat apposita, decidit. de mensa oleas mures praeroserunt.

- 8 [62]. M. Iunio A. Manlio consulibus incendio circa forum
10 cum plurima essent deusta, aedes Veneris sine ullo vestigio cremata. Vestae penetralis ignis extinctus. virgo iussu M. Aemilii pontificis maximi flagro caesa negavit ulterius interiturum. supplicationibus habitis in Hispania et Histria bella prospere administrata.

- 15 C. Claudio Pulchro Ti. Sempronio Graccho consulibus * *

9 [64]. Cn. Cornelio Q. Petillio consulibus cum immolassent victimas consules, iecur extabuit. Cornelius ex monte Albano rediens membris captus ad aquas Cumanas mortuus. Petillius contra Ligures dimicans occisus est.

- 20 10 [65]. M. Lepido Q. Mucio consulibus gravi pestilentia hominum boumque cadavera non sufficiente Libitina cum iacerent, vulturius non apparuit. Celtiberi deleti.

- 11 [70]. Q. Aelio Paeto M. Iunio consulibus Romae aliquot
25 loca sacra profanaque de caelo tacta. Anagninae terra pluit. Lanuvii fax ardens in caelo visa. Calatiae in agro publico per triduum et duas noctes sanguis manavit. rex Illyrici Gentius et Macedoniae Perses devicti.

- 12 [71]. M. Marcello C. Sulpicio consulibus in Campania multis locis terra pluit. in Praenestino cruenti ceciderunt im-
30 bres, Veienti lana ex arboribus nata. Tarracinae in aede Minervae mulieres tres, quae operatae sedebant, fulmine exanimatae. ad lucum Libitinae in statua equestri aenea ex ore et pede aqua manavit diu. Galli Ligures deleti. comitia cum ambiciosissime fierent et ob hoc senatus in Capitolio haberetur, milvus
35 volans mustelam raptam de cella Iovis in medio consessu patrum misit. sub idem tempus aedes Salutis de caelo tacta. in colle Quirinali sanguis terra manavit. Lanuvii fax in caelo nocte conspecta. fulmine pleraque discussa Casini et sol per aliquot horas

6. in foris] nach Oudendorp; Ald.: Iovis. — 7. erat] nach Nannius; Ald.: erant. — 15. Pulchro Ti. Sempronio Graccho consulibus] ergänzt nach Jahn; vgl. Liv. 41, 13, 1 f. — 16. Cn. Cornelio] ergänzt nach Oudendorp. — 33. diu] Ald.; Mms.: interdiu. — 37. terra] HJM. vermutet: e terra; vgl. Kap. 21.

noctis visus. Teani Sidicini puer cum quattuor manibus et totidem pedibus natus. urbe *lustrata* pax domi foris fuit.

13 [72]. Cn. Octavio T. Manlio consulibus pestilentia famaeque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita sacellaque operatus sederit. in aede Penatium valvae nocte sua 5 sponte adaperatae, et lupi Esquilis et in colle Quirinali meridie apparuerunt exagitatique fuerunt. urbe *lustrata* nihil triste accidit.

14 [73]. Ti. Graccho M. Iuventio consulibus Capuae nocte sol visus. in agro Stellati fulgure vervecum de grege pars exanimata. Tarracinae pueri trigemini nati. Formis duo soles interdiu visi. caelum arsit. Antii homo ex speculo acie orta combustus. Gabiis lacte pluit. fulmine pleraque decussa in Palatio. in templum Victoriae cygnus inlapsus per manus capientium effugit. Priverni puella sine manu nata. in Cephallenia tuba in 15 caelo cantare visa. terra pluit. procellosa tempestate tecta diruta stragesque agrorum facta. crebro fulminavit. nocte species solis Pisauri adfulsit. Caere porcus humanis manibus et pedibus natus, et pueri quadrupedes et quadrumanes nati. ad forum Aesi bovem flamma ex ipsius ore nata non laesit. 20

15 [74]. P. Scipione Nasica C. Marcio consulibus Anagninae caelum nocte arsit. fulmine pleraque decussa. Frusinone bos locutus. Reate mulus tripes natus. Cn. Octavius legatus in Syria per Lysiam, tutorem Antiochi pueri, in gymnasio occisus.

16 [75]. L. Lentulo C. Marcio consulibus procellosa tempestate in Capitolio aedes Iovis et circa quassata. pontificis maximi tectum cum columnis in Tiberim deiectum. in circo Flaminio porticus inter aedem Iunonis Reginae et Fortunae tacta, et circa aedificia pleraque dissipata. taurus ad immolationem cum duceretur ob haec, ipse corrui. Dalmatae Scordisci superati. 30

17 [76]. Q. Opimio L. Postumio consulibus in provinciam proficiscens Postumius consul cum immolaret, in plurimis victimis caput in iocinere non invenit; profectusque post diem septimum aeger Romam relatus expiravit. Compsae arma in caelo 35 volare visa. fulmine pleraque decussa. a Gallis et a Lusitanis Romani per arma graviter vexati.

18 [77]. M. Claudio Marcello L. Valerio Flacco consulibus turbinis vi in campo columna ante aedem Iovis decussa cum signo aurato; cumque aruspices respondissent magistratum et sacerdotum interitum fore, omnes magistratu se protinus abdicave- 40

7. fuerunt] HJM. vermutet: *fugerunt*. — 12. Antii] nach Heinsius; Ald.: *concii*; HHaupt: *Corfinii*. — 20. Aesi] nach HHaupt; Ald.: *estii*.

runt. *novendiale sacrum fuit*, quod Ariciae lapidibus pluerat; ita supplicatio habita, quod Romae multis locis species togatorum visae adpropinquantium oculos eludebant. in Lusitania varie, in Gallia prospere pugnatum.

5 19 [78]. Sp. Postumio L. Pisone consulibus vasto incendio Romae cum regia quoque ureretur, sacrarium et ex duabus altera laurus ex mediis ignibus inviolata extiterunt. Pseudophilippus devictus.

20 20 [79]. P. Africano C. Livio consulibus Amiterni puer tribus pedibus, una manu natus. Romae et circa fulmine pleraque icta. Caere sanguinis rivi e terra fluxerunt, et nocte caelum ac terra ardere visum. Frusinone aurum sacrum mures adroserunt. Lanuvii inter horam tertiam et quintam duo discolores circuli solem cinxerunt rubentē alter, alter candida linea. stella 15 arsit per dies triginta duos. [et] cum Carthago obsideretur, in captivos Romanorum per Hasdrubalem barbaro more saevitum; mox Carthago per Aemilianum diruta.

21 [80]. Ap. Claudio Q. Metello consulibus Amiterni puer tribus pedibus natus. Caere sanguinis rivi e terra fluxerunt. 20 cum a Salassis illata clades esset Romanis, decemviri pronuntia-verunt se invenisse in Sibyllinis, quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere.

22 [81]. L. Metello Q. Fabio Maximo consulibus fames et pestilentia cum essent, per decemviros supplicatum. Lunae androgynus natus praeepto aruspicum in mare deportatus. tanta 25 fuit Lunensibus pestilentia, ut iacentibus in publico passim cada-veribus qui funerarent defuerint. in Macedonia exercitus Romanus proelio vexatus; adversus Viriatum dubie dimicavit.

23 [82]. Q. Caepione C. Laelio consulibus Praeneste et in 30 Cephallenia signa de caelo cecidisse visa. mons Aetna ignibus abundavit. prodigium maioribus hostiis quadraginta expiatum. annus pacatus fuit Viriato victo.

24 [83]. M. Aemilio C. Hostilio Mancino consulibus cum 35 Lavinii auspicarentur, pulli e cavea in silvam Laurentinam evolarunt neque inventi sunt. Praeneste fax ardens in caelo visa. sereno intonuit. Tarracinae M. Claudius praetor in nave fulmine conflagravit. lacus Fucinus per milia passuum quinque quoquo versum inundavit. in Graecostasi et comitio sanguine fluxit.

1. *novendiale sacrum fuit*] ergänzt nach HHaupt. — *ita*] HJM. ver-
mutet: *item*. — 11. *e terra*] nach HJM.; vgl. Kap. 21; Ald.: *terra*. — 15. *et*]
getilgt nach HJM. — 19. *Caere*] nach Perizonius; vgl. Kap. 20; Ald.: *cau-
rae*. — 26. *publico*] nach HHaupt; Ald.: *publicum*.

Esquiliis equuleus cum quinque pedibus natus. fulmine pleraque decussa. Hostilius Mancinus consul in portu Herculis cum conscenderet navem petens Numantiam, vox improvise audita 'mane Mancine'. cumque egressus postea navem Genuae descendisset, anguis in navi inventus e manibus effugit. ipse consul devictus, mox Numantinis deditus. 5

25 [84]. L. Furio Sex. Atilio Sarrano consulibus Regium paene totum incendio consumptum sine ullo humanae fraudis aut neglegentiae vestigio. puer ex ancilla quattuor pedibus, manibus, oculis, auribus et duplici obsceno natus. Puteolis in aquis calidis rivi manarunt sanguine. fulmine pleraque deiecta. puer aruspicum iussu crematus cinisque eius in mare deiectus. a Vaccacaeis exercitus Romanus caesus. 10

26 [85]. Ser. Flacco Q. Calpurnio consulibus mons Aetna maioribus solito arsit ignibus. Romae puer solidus posteriore naturae parte genitus. Bononiae fruges in arboribus natae. bubonis vox primum in Capitolio, dein circa urbem audita. quae avis praemio posito ab aucupe capta combustaque; cinis eius in Tiberim dispersus. bos locutus. in Numantia res male gestae, exercitus Romanus oppressus. 15 20

27 [86]. P. Africano C. Fulvio consulibus in Amiterno sol noctu visus eiusque lux aliquandiu [fuit] visa. bos locutus et nutritus publice. sanguine pluit. Anagninae servo tunica arsit, et intermortuo igne nullum flammae apparuit vestigium. in Capitolio nocte avis gemitus similes hominis dedit. in aede Iunonis Reginae scutum Ligusticum fulmine tactum. fugitivorum bellum in Sicilia exortum coniuratione servorum in Italia oppressa. 25

P. Mucio L. Pisone consulibus Ti. Gracchus * * legibus ferendis occisus. proditum est memoria Ti. Gracchum, quo die periit, tristitia neglexisse omina, cum domi et in Capitolio sacrificanti dira portenderentur, domoque exiens sinistro ad limen offenso pede decusserit pollicem, et corvi fragmentum tegulae ante pedes eius proiecerint ex stillicidio. in lacu Romano lacte rivi manarunt. Lunae terra quattuor iugerum spatio in profundum abiit et mox de caverna lacum reddidit. Ardeae terra pluit. Minturnis lupus vigilem laniavit et inter tumultum effugit. Romae bubo et alia avis ignota visa. in aede Iunonis Reginae clausis per biduum valvis infantis vox audita. scuta novo sanguine maculata. puella quadrupes nata. in agro Ferentino androgynus 30 35

22. *fuit* getilgt nach HJM. — 28. P. Mucio L. Pisone consulibus eingefügt nach Oudendorp.

natus et in flumen deiectus. virgines ter novenae canentes urbem lustraverunt.

* * in Italia multa milia servorum, quae coniuraverant, aegre comprehensa et supplicio consumpta. in Sicilia fugitivi 5 Romanos exercitus necaverunt. Numantia diruta.

28 [87]. C. Claudio M. Perperna consulibus Reate mulus cum quinque pedibus natus. Romae in Graecostasi lacte pluit. lupus et canis Ostiae pugnantes fulmine exanimati. grex ovium in Apulia † praetor populi Romani uno ictu fulmine exanimatus. 10 Tarracinae sereno navis velum fulmine † exanimatum in aquam deiectum, et † impensas omnes, quae ibi erant, ignis absumpsit. P. Crassus adversus Aristonicum dimicans occisus. Apollinis simulacrum *Cumis* lacrimavit per quadriduum. vates responderunt Graeciae fore exitium, unde deductum esset. sacrificatum tum a 15 Romanis donaque in templo posita. Phrygia * recepta Asia Attali testamento legata Romanis. Antiocho, regi Syriae, ingenti exercitu dimicanti hirundines in tabernaculo nidum fecerunt. quo prodigio neglecto proelium commisit et a Parthis occisus est.

20 [88.] C. Sempronio M. Aquillio consulibus * * M. Fulvii Flacci triumviri * * dissensione in legibus ferendis * * . angues duo nigri in cella Minervae allapsi civilem caedem portenderunt.

29 [89]. M. Aemilio L. Aurelio consulibus nocturna tempestate in Capitolio aliquot templa concussa sunt. Romae et circa 25 fulmine pleraque deiecta sunt. Aetna mons terrae motu ignes super verticem late diffudit, et ad insulas Liparas mare efferbuit et quibusdam adustis navibus vapore plerosque navales exanimavit, piscium vim magnam exanimem dispersit, quos Liparenses avidius epulis appetentes contaminatione ventris consumpti, ita 30 ut nova pestilentia vastarentur insulae. quod prodigium aruspicum responso seditionem, quae post tempore patuit, portendit.

30 [90]. M. Plautio M. Fulvio consulibus in arboribus fruges natae sunt. oleo et lacte in Veiente pluit. bubo in Capitolio visus. Arpis lapideus imber triduo * * apparuit locustarum ingenti agmine in Africa, quae a vento in mare deiectae fluctibusque eiectae odore intolerabili Cyrenis mortiferoque vapore gravem pestilentiam fecerunt pecori; hominumque octingenta milia consumpta tabe proditum est. Fregellae, quae adversus Romanos coniuraverunt, dirutae. Ligures Sallyes trucidati.

40 31 [91]. C. Cassio Longino C. Sextio consulibus in Grae-

10. *aquam*] nach HHaupt; Ald.: *aqua*. — 20. C. Sempronio M. Aquillio consulibus] eingefügt nach Jahn.

costasi lacte pluit. fulmine Crotone grex ovium cum cane et tribus pastoribus exanimatus. Saturniae vitulus biceps natus. tumultus in urbe fuit C. Graccho leges ferente.

32 [92]. Cn. Domitio C. Fannio consulibus in foro Suesano androgynus natus in mare delatus est. in Gallia tres soles 5
et tres lunae visae. vitulus biceps natus. bubo in Capitolio visus. Aetnae incendio Catina consumpta. Sallyes et Allobroges devicti.

33 [93]. L. Opimio Q. Fabio Maximo consulibus grex luporum limites, qui in agrorum divisione per C. Gracchum depositi erant, dissipavit. ipse Gracchus in Aventino occisus. 10

34 [94]. L. Aurelio Cotta L. Caecilio consulibus androgynus in agro Romano annorum octo inventus et in mare deportatus. virgines ter novenae in urbe cantarunt.

35 [95]. M. Catone Q. Marcio consulibus Catone consule immolante exta tabuerunt, caput iocineris inventum non est. 15
lacte pluit. terra cum mugitu tremuit. examen apum in foro condescit. sacrificatum ex Sibyllinis.

36 [96]. L. Caecilio L. Aurelio consulibus fulmine Romae et circa pleraque tacta. Praeneste lacte pluit. hastae Martis in regia motae. Priverni terra septem iugerum spatio in cavernam 20
desedit. Saturniae androgynus annorum decem inventus et mari demersus. virgines viginti septem urbem carmine lustraverunt. reliquum anni in pace fuit.

37 [97]. M. Acilio C. Porcio consulibus P. Elvius, eques Romanus, a ludis Romanis cum in Apuliam reverteretur, in agro 25
Stellati filia eius virgo equo insidens fulmine icta exanimataque, vestimento deducto inguinibus, exerta lingua, per inferiores locos ut ignis ad os emicuerit. responsum infamiam virginibus et equestri ordini portendi, quia equi ornamenta dispersa erant. 30
tres uno tempore virgines Vestales nobilissimae cum aliquot equitibus Romanis incesti poenas subierunt. aedes Veneri Verticordiae facta.

38 [98]. C. Caecilio Cn. Papirio consulibus Albanus mons nocte ardere visus. * * aedicula et signum de caelo tacta. ara 5
Salutis interrupta. terra in Lucanis et Privernati late hiavit. in Gallia caelum ardere visum. Cimbri Teutonique Alpes transgressi foedam stragem Romanorum sociorumque fecerunt.

2. *Saturniae*] nach Scaliger; Ald.: *saturae*. — 4. *Suessano*] nach Ortel; Ald.: *uessano*. — 17. *sacrificatum*] nach Stephanus; Ald.: *sacrificium*. — 18. *L. Caecilio L. Aurelio*] dafür vermutet Oudendorp: *L. Caecilio Q. Mucio Scaevola*; HJM.: entweder *Q. Caecilio Q. Mucio* oder *M. Caecilio M. Aemilio*; HHaupt: *L. Caecilio C. Licinio*. — 20. *in cavernam*] nach Scheffer; vgl. Liv. 30, 2, 12; Ald.: *in caverna*.

39 [99]. P. Scipione L. Calpurnio consulibus maxima pars urbis exusta cum aede Matris magnae. lacte per triduum pluit hostiis ex expiatum maioribus. Iugurthinum bellum exortum.

40 [100]. Ser. Galba M. Scauro consulibus avis incendiaria et bubo in urbe visae. in latomiis homo ab homine adesus. ex Sibyllinis in insula Cimolia sacrificatum per triginta ingenuos patrimos et matrimos totidemque virgines. multa milia hominum intumescente Pado et stagno Arretino obruta. bis lacte pluit. Nursiae gemini ex muliere ingenua nati, puella integris omnibus membris, puer a parte priore alvo aperto, ita ut nudum intestinum conspiceretur, idem posteriore natura solidus natus, qui voce missa expiravit. contra Iugurtham prospere dimicatum.

41 [101]. Q. Servilio Caepione C. Atilio Sarrano consulibus Amiterni cum ex ancilla puer nasceretur, 'ave' dixit. in agro Perusino et Romae locis aliquot lacte pluit. inter multa fulmine icta Atellis digiti hominis quattuor tamquam ferro praecisi. argentum signatum afflatu fulminis diffluit. in agro Trebulano mulier nupta civi Romano fulmine icta nec exanimata. fremitus caelestis auditus et pila caelo cadere visa. sanguine pluit. Romae interdiu fax sublime volans conspecta. in aede Larum flamma a fastigio ad summum columnen penetravit innoxia. per Caepionem consulem senatorum et equitum iudicia communicata. cetera in pace fuerunt.

42 [102]. P. Rutilio Cn. Manlio consulibus Trebulae Mutuscae ante quam ludi committerentur, canente tibiae angues nigri aram circumdederunt, desinente cantare dilapsi. postero die exorti a populo lapidibus enecati. foribus templi adapertis simulacrum Martis ligneum capite stans inventum. a Lusitanis exercitus Romanus caesus.

43 [103]. C. Mario C. Flavio consulibus bubo extra urbem visus. bos locuta. Trebulae Mutuscae simulacrum in templo, quod capite adaperto fuit, opertum inventum. Nuceriae ulmus vento eversa sua sponte erecta in radicem convaluit. in Lucanis lacte, Lunae sanguine pluit. Ameriae canis locutus. * * arma caelestia tempore * utrimque ab ortu et occasu visa pugnare et ab occasu vinci. aruspicum responso populus stipem Cereri et Proserpinae tulit. virgines viginti septem dona canentes tulerunt. luna interdiu cum stella ab hora tertia usque ad horam septimam

5. *latomiis*] nach HHaupt; Ald.: *laotomiis*; Scheffer: *lautumiis*. — 24. *Mutuscae*] nach Ald.; Jahn: *Mutuescae*. — 29. Jahn: *Romanis*. — 31. *Mutuscae*] nach HHaupt; Ald.: *Mutuescae*. — 34. *Ameriae*] nach Pighius; Ald.: *Arimini*. — 35. *utrimque*] Jahn; Ald.: *utroque*.

apparuit. a fugitivis et desertoribus in Thurinis regiones vastatae. Cimbri Alpes transgressi post Hispaniam vastatam iunxerunt se Teutonis. lupus urbem intravit. fulminis ictu vultures super turrem exanimati. hora diei tertia solis defectus lucem obscuravit. examen apium ante aedem Salutis consedit. in comitio lacte 5 pluit. in Piceno tres soles visi. in agro Vulsiniensi flamma e terra orta caelumque visa contingere. in Lucanis duo agni equinis pedibus nati, alter feminino capite. in Tarquiniensi lactis rivi terra scaturientes exorti. aruspicum responso signa oleaginea duo armata statuta supplicatumque. in Macedonia Thraces 10 subacti.

44 [104]. C. Mario Q. Lutatio consulibus novendiale sacrum fuit, quod in Tuscis lapidibus pluerat. urbs aruspicum iussu lustrata. hostiarum cinis per decemviros in mare dispersus, et per dies novem circa omnia templa per magistratus † et municipia 15 pompa ducta supplicatum. hastae Martis in regia sua sponte motae. sanguine circa annem Anienem pluit. examen apium in foro boario in sacello consedit. in Gallia in castris lux nocte fulsit. puer ingenuus Ariciae flamma comprehensus nec ambustus. aedes Iovis clusa fulmine icta. cuius expiationem qui 20 primus monstraverat Aemilius † Potensis aruspex praemium tulit, ceteris celantibus, quod ipsis liberisque exitium portenderetur. piratae in Cilicia a Romanis deleti. Teutoni a Mario trucidati.

** ancilia cum crepitu sua sponte mota. servus Q. Servilii Caepionis Matri Idaeae se praecidit et trans mare exportatus, ne 25 umquam Romam reverteretur. urbs lustrata. capra cornibus ardentibus per urbem ducta, porta Naevia emissa relictaque. in Aventino luto pluit. Lusitanis devictis Hispania ulterior pacata. Cimbri deleti.

45 [105]. C. Mario L. Valerio consulibus fax ardens Tarquiniis late visa subito lapsu cadens. sub occasu solis orbis clipei similis ab occidente ad orientem visus perferri. in Piceno terrae motu domicilia ruinis prostrata, quaedam convulsa sede sua inclinata manserunt. fremitus armorum ex inferno auditus. quadrigae auratae in foro a pedibus sudaverunt. fugitivi in Sicilia 35 proeliis trucidati.

46 [106]. M. Antonio A. Postumio consulibus bubone in urbe viso urbs lustrata. nimbis et procella plurima dissipata, fulmine pleraque tacta. Lanuvii in aede Iunonis Sospitae in cubiculo deae sanguinis guttae visae. Nursiae aedes sacra terrae motu 40

9. *scaturientes*] Ald.: *scaturienti*; Jahn mit Oudendorp: *scaturientis*. — 26. *Romam*] nach Scheffer; Ald.: *Romae*.

disiecta. Lusitani rebellantes subacti. Sex. Titius tribunus plebis de agris dividendis populo cum repugnantibus collegis pertinaciter legem ferret, corvi duo numero in alto volantes ita pugnaverunt supra contionem, ut rostris unguibusque lacerarentur.

5 aruspices sacra Apollini litanda et de lege, quae ferebatur, supersedendum pronuntiarunt. fremitus ab inferno ad caelum ferri visus inopiam famemque portendit. populus stipem, matronae thesaurum et virgines dona Cereri et Proserpinae tulerunt. * * per virgines viginti septem cantitatum. signa cupressae duo Iunoni

10 Reginae posita. in Lusitania prospere a Romanis pugnatum.

47 [107]. Q. Metello T. Didio consulibus bubone in Capitolio supra deorum simulacra viso cum piaretur, taurus victima exanimis concidit. fulmine pleraque decussa. hastae Martis in regia motae. ludis in theatro creta candida pluit: fruges et tempestates portendit bonas. sereno tonuit. apud aedem Apollinis decemviris immolantibus caput iocineris non fuit, sacrificantibus anguis ad aram inventus. item androgynus in mare deportatus. in circo inter pila militum ignis fusus. Hispani pluribus proeliis devicti.

48 [108]. Cn. Cornelio Lentulo P. Licinio consulibus supplicatum in urbe, quod androgynus inventus et in mare deportatus erat. Pisauri terrae fremitus auditus. muri pinnae sine terrae motu passim deiectae civiles portendere discordias. Nursiae simulacrum Iovis in partem sinistram conversum. cupressae simulacra Iunonis Reginae posita per virgines viginti septem,

25 quae urbem lustraverunt. Celtiberi, Medi, Dardani subacti.

49 [109]. Cn. Domitio C. Cassio consulibus lupus urbem ingressus in domo privata occisus. bubo in Capitolio occisus. fulmine pleraque decussa. signa aurata Iovis cum capite columnaque disiecta. Faesulis sanguine terra manavit. Arretii mulieri e naso spicae farris natae, eadem farris grana vomuit. urbe lustrata

30 Ptolemaeus, rex Aegypti, Cyrenis mortuus senatum populumque Romanum heredem reliquit.

50 [110]. L. Crasso Q. Scaevola consulibus Caere lacte pluit. Lebadiae Eutychedes in templum Iovis Trophonii degressus

35 tabulam aeneam extulit, in qua scripta erant, quae ad res Romanas pertinerent. fulminis afflatu pleraque animalia exanimata. Venafri hiatu terra alte subsedit. vultures canem mortuum laniantes occisi ab aliis et comesi vulturibus. agnus biceps, puer tribus manibus totidemque pedibus natus. [at] hastae Martis in

40 regia motae. androgynus Urbino natus in mare deportatus. pax domi forisque fuit.

8. Lücke angenommen mit HHaupt. — 30. urbe] HJM. vermutet: urbs. — 38. at] getilgt nach HJM.; Jahn vermutet: At(ellae).

51 [111]. C. Caelio L. Domitio consulibus novendiale sacrum fuit, quod in Volsea gente lapidibus pluerat. Vulsiniis luna nova defecit et non nisi postero die hora tertia comparuit. puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina feminea natura mortua nata. avis incendiaria visa occisaque. in Vestinis in villa lapidibus pluit. fax in caelo apparuit et totum caelum ardere visum. terra sanguine manavit et concrevit. canes saxa tegulas vulgo roserunt. Faesulis ingens multitudo inter sepulcra lugubri veste, pallida facie interdum ambulare gregatim visa. per Nasicam Hispaniae principes, qui rebellabant, supplicio consumpti urbibus dirutis. 5 10

52 [112]. C. Valerio M. Herennio consulibus Romae et circa fulmine pleraque decussa. ancilla puerum unimanum peperit. Fregellis aedes Neptuni nocte patefacta. maris vituli cum exta demerentur, gemini vitelli in alvo eius inventi. Arretii signum aeneum Mercurii sudavit. in Lucanis gregem vervecum, cum pasceretur, et nocte in stabulo flamma circumdata nihil adussit. Carseolis torrens sanguinis fluxit. lupi urbem ingressi. Praeneste lana volitavit. in Apulia mula peperit. milvus in aede Apollinis Romae comprehensus. Herennio consuli bis immolanti caput iocineris defuit. in sacro novendiali cena deae posita a cane adesa ante quam delibaretur. Vulsiniis prima luce flamma caelo emicare visa; cum in unum coisset, os flammae ferrugineum ostendit, caelum visum discedere, e cuius hiatu vertices flammae apparuerunt. lustrationibus prospere expiatum. nam totus annus domi forisque tranquillus fuit. 15 20 25

53 [113]. C. Claudio M. Perpenna consulibus bubo in aede Fortunae equestris comprehensus inter manus expiravit. Faesulis fremitus terrae auditus. puer ex ancilla natus sine foramine naturae, qua humor emittitur. mulier duplici natura inventa. fax in caelo visa. bos locuta. examen apium in culmine privatae domus consedit. Volaterris sanguinis rivus manavit. Romae lacte pluit. Arretii duo androgyni inventi. pullus gallinaceus quadripes natus. fulmine pleraque icta. supplicatio fuit. populus Cereris et Proserpinae stipem tulit. virgines viginti septem carmen canentes urbem lustraverunt. Medorum in Macedonia gens provinciam cruenta vastavit. 30 35

54 [114]. L. Mario Sex. Iulio consulibus Livio Druso tribuno plebis leges ferente cum bellum Italicum consurgeret, prodigia multa apparuerunt urbi. sub ortu solis globus ignis a septentrionali regione cum ingenti sono caeli emicuit. Arretii fran-

30. qua] HJM. vermutet: quo.

gentibus panes cruor e mediis fluxit. in Vestinis per dies septem lapidibus testisque pluit. Aenariae terrae hiatus flamma exorta in caelum emicuit. circa Regium terrae motu pars urbis murique diruta. in Spoletino colore aureo globus ignis ad terram devolutus maiorque factus e terra ad orientem ferri visus magnitudinem solis obtexit. Cum in arce simulacrum Apollinis sudavit. aedis Pietatis in circo Flaminio clausa fulmine icta. Asculo per ludos Romani trucidati. cum ex agris in urbem pecora armentaque Latini agerent, strages hominum passim facta. armenta in tantam rabiem concitata sunt, ut vastando suos hostile imaginarentur bellum † lacrimantesque multis affectibus calamitatem praesagirent suis.

55 [115]. L. Iulio Caesare P. Rutilio consulibus Metella Caecilia somnio Iunonem Sospitam profugientem, quod immunde sua templa foedarentur, cum suis precibus aegre revocatam diceret, aedem matronarum sordidis obscenisque corporis coinquinatam ministeriis, in qua etiam sub simulacro deae cubile canis cum foetu erat, commundatam supplicationibus habitis pristino splendori restituit. a Picentibus Romani barbaro more excruciiati. ubique in Latio clades acceptae. Rutilius Lupus spretis religionibus, cum in extis caput non invenisset iocineris, amisso exercitu in proelio occisus.

56 [116]. L. Sylla Q. Pompeio consulibus Pompedius Silo in oppidum Bovianum, quod ceperat, triumphans invecus omen victoriae hostibus ostendit, quia triumphus in urbem victricem, non victam induci solet. proximo proelio amisso exercitu occisus. Mithridati adversus socios bellum paranti prodigia apparuerunt. Stratopedo, ubi senatus haberi solet, corvi vulturem tundendo rostris occiderunt. in eundem locum sidus ingens caelo demissum. Isis species visa fulmine petere. lucum Furiarum cum Mithridates succenderet, risus exauditus ingens sine auctore. cum aruspicum iussu virginem Furiis immolaret, e iugulo puellae risus ortus turbavit sacrificium. classis Mithridatis in Thessalia [a Romanis] in proelio amissa.

35 Cn. Octavio L. Cinna consulibus Cinna et Mario per bella civilia crudeliter saevientibus Romae in castris Cn. Pompei caelum ruere visum, arma signaque tacta, milites exanimati. ipse Pompeius afflatus sidere interiit. lectum eius populus diripuit, corpus

9. strages] nach Ald.; Jahn: *strage*. — 17. cum foetu] nach HHaupt; Ald.: *confoetu*; Jahn nach Scheffer: *confetae*. — 20. acceptae] nach HHaupt; Ald.: *accepta*. — 34. a Romanis] eingeklammert von HJM. — 35. Cn. Octavio L. Cinna consulibus] eingefügt nach Oudendorp.

unco traxit, quod discrimine civili perseverasset periclitanti patriae non succurrere, cum et imperium et maximos haberet exercitus.

L. Cinna C. Mario consulibus Peiraeum Sylla cum oppugnaret, unus miles eius aggerem ferens exanimatus fulmine. aruspex respondit † diuturno labore, quod caput iacentis in oppidum versum esset, introitum et victoriam Romanis significare. post breve tempus Athenae et Peiraeum a Sylla capta. Illo a C. Fimbria incenso cum aedes quoque Minervae deflagrasset, inter ruinas simulacrum antiquissimum inviolatum stetit spemque restitutionis portendit. 10

57 [118]. L. Scipione C. Norbano consulibus per Syllana tempora inter Capuam et Vulturum ingens signorum sonus armorumque cum horrendo clamore auditus, ita ut viderentur duae acies concurrere per plures dies. † rei miraculo interius considerantibus vestigia equorum hominumque et recenter protritae herbae et virgulta visa molem ingentis belli portendere. in Etruria Clusii mater familiae vivum serpentem peperit, qui iussu aruspicum in profluentem deiectus adversa aqua natavit. L. Sylla post quintum annum victor in Italiam reversus magno terrori fuit inimicis. * aeditui Capitolium una nocte conflagravit. Syllae crudelitate foeda proscriptio principum fuit. centena milia hominum consumpta Italico civilique bello relata sunt. 20

58 [119]. Mam. Aemilio D. Bruto consulibus D. Laelius, legatus Pompei, — cui prodigium Romae erat factum in lecto uxoris duo angues conspecti in diversumque elapsi, proxime Pompeio in castris sedenti accipiter super caput accesserat — in Hispania adversus Sertorium inter pabulatores occisus. 25

59 [120]. Cn. Octavio C. Scribonio consulibus Reate terrae motu aedes sacrae in oppido agrisque commotae, saxa, quibus forum stratum erat, discussa, pontes interrupti, ripae praelabentis fluminis in aquam provolutae, fremitus inferni exauditi. et post paucos dies quae concussa erant corruerunt; saxum vivum, cum provolveretur, in praecipiti rupe immobile stetit. a Sertorio in Hispania exercitus Romani caesi. adversum Medos varie dimicatum. 30

60 [121]. C. Aurelio L. Octavio consulibus Sertorio in Hispania exercitum ducenti tale prodigium est factum. scuta equitum parte exteriori iaculaque et pectora equorum cruenta visa, quod prosperum sibi interpretatus est Sertorius, quia ex-

4. L. Cinna C. Mario consulibus] eingefügt nach Oudendorp. — 19. adversa] nach Stephanus; Ald.: *aversa*.

teriora hostili sanguine maculari solent. continua ei proelia cum successu fuerunt.

M. Varrone C. Cassio consulibus Cyzicum Mithridates cum oppugnaret, Aristagorae, qui in summo magistratu erat, Proserpina in quiete visa est dicere adversus tibicines se tubicinem
5 comparasse. postero die turres hostium vento disiectae sunt. ad immolandum bos sacra iniussa de montibus per hostium classem adnavavit seque ad aras percutiendam obtulit.

61 [122]. *M. Cicerone C. Antonio consulibus* fulmine pleraque decussa. sereno Vargunteius Pompeiis de caelo exanimatus. trabis ardens ab occasu ad caelum extenta. terrae motu Spoletum totum concussum, et quaedam corruerunt. inter alia relatum biennio ante in Capitolio lupam Remi et Romuli fulmine ictam, signumque Iovis cum columna disiectum, aruspicum responso in foro repositum. tabulae legum aeneae litteris * * liquefactae. ab his prodigiis Catilinae nefaria conspiratio coepta.

D. Iunio L. Murena consulibus C. Antonius proconsul cum in agro Pistoriensi Catilinam devicisset, laureatos fasces in provinciam tulit. ibi a Dardanis oppressus amisso exercitu profugit.
20 apparuit eum hostibus portendisse victoriam, cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio debuerat deponere.

62 [123]. *Q. Metello L. Afranio consulibus* die toto ante sereno circa horam undecimam nox se intendit, deinde restitutus fulgor. turbinis vi tecta deiecta. ponte sublapso homines in Tiberim praecipitati. in agris pleraeque arbores eversae radicitus. Lusitani Callaeci devicti.

63. *Cn. Domitio M. Messalla consulibus* lupi in urbe visi. nocturni ululatus flebiles canum auditi. simulacrum Martis sudavit. fulmen tota urbe pervagatum pleraque deorum simulacra
30 decussit, homines exanimavit. urbs lustrata. propter dictaturam Pompeii ingens seditio in urbe fuit.

64 [124]. *L. Domitio Ap. Claudio consulibus* M. Crassus ad Parthos profectus cum Euphratem transiret, multa prodigia neglexit. cum etiam coorta tempestas signifero signum abrep-
35 tum mersisset gurgiti et offundente se nimborum caligine prohiberentur transire, pertinaciter perseverans cum filio et exercitu interiiit.

3. *M. Varrone C. Cassio consulibus*] ergänzt nach Oudendorp. — 5. *tibicines*] nach Ald.; Jahn nach Scheffer: *tubicinem*. — *tubicinem*] nach HHaupt; Ald.: *tibicinem*. — 17. *D. Iunio L. Murena consulibus*] ergänzt nach Jahn. — 27. *Cn. Domitio M. Messalla consulibus*] eingefügt nach Oudendorp.

65 [12
discordiam
pes matrona
urbis dele
peium bella

C. Cassio
peius in Ma
aciem, a Dy
men apium
citu fuere.

suo ingent
eo ipso die

rem crepitu
ros auditum

ribis Trallid
augmenta lap

Patavii eo
vincere Ca

66 [12
num aquilae
sae dimitter

victus et fu
67 [12

tatori exta
gium domus,
cum valvae c

it lunae fulgo
Caesar viginti
confusus.

68 [128]
testamento Ca

tam audit; c
tuline Roma

chus extrem
it, cum circum

igo fecit, stel
nota converti

agnit, divo
sinuostrosa
fuit ad i

C. Cassio
dicitur.

65 [125]. L. Paulo C. Marcello consulibus mula pariens discordiam civium, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus significavit. incendium, quo maxima pars urbis deleta est, prodigii loco habitum. inter Caesarem et Pompeium bella civilia exorta.

C. Caesare P. Servilio consulibus adversus Caesarem Pompeius in Macedonia cum invitus instigantibus amicis instrueret aciem, a Dyrrhachio venientibus adversa fuerunt fulmina. examen apium in signis * * portendit. nocturni terrores in exercitu fuere. ipse Pompeius pridie pugnae diem visus in theatro suo ingenti plausu excipi. mox acie victus in Aegypto occisus. eo ipso die plerisque locis signa sua sponte conversa * *, clamorem crepitumque armorum Antiochiae bis ut curreretur in muros auditum, † indeque sonum tympanorum Pergami. palma viridis Trallibus in aede Victoriae sub Caesaris statua inter coagmenta lapidum magnitudine matura enata. C. Cornelius augur Patavii eo die, cum aves admitterent, proclamavit rem geri et vincere Caesarem.

66 [126]. C. Caesare M. Lepido consulibus decem legionum aquilae Gnaeo, Cn. Pompeii filio, quae fulmina tenebant, visae dimittere et in sublime avolare. ipse adulescens Pompeius victus et fugiens occisus.

67 [127]. C. Caesare M. Antonio consulibus Caesari dictatori exta sine corde inventa. Calpurnia uxor somniavit fastidium domus, quod senatus consulto erat adiectum, ruisse. nocte cum valvae cubiculi clausae essent, sua sponte apertae sunt, ita ut lunae fulgore, qui intro venerat, Calpurnia excitaretur. ipse Caesar viginti tribus vulneribus in curia Pompeiana a coniuratis confossus.

68 [128]. M. Antonio P. Dolabella consulibus C. Octavius testamento Caesaris patris Brundisii se in Iuliam gentem adscitum audivit; cumque hora diei tertia ingenti circumfusa multitudine Romam intraret, sol puri ac sereni caeli orbe modico inclusus extremae lineae circulo, qualis tendi arcus in nubibus solet, eum circumscripsit. ludis Veneris Genetricis, quos pro collegio fecit, stella hora undecima crinita sub septentrionis sidere exorta convertit omnium oculos. quod sidus quia ludis Veneris apparuit, divo Iulio insigne capitis consecrari placuit. ipsi Caesari monstrosa malignitate Antonii consulis multa perpresso generosa fuit ad resistendum constantia. terrae motus crebri fue-

6. C. Caesare P. Servilio consulibus] eingefügt nach Oudendorp. — 13. Jahn: murus. — 31. adscitum audivit] nach Luterbacher; Ald.: adscivit.

runt. fulmine navalia pleraque tacta. turbinis vi simulacrum,
 quod M. Cicero ante cellam Minervae pridie quam plebiscito in
 exilium iret posuerat, dissipatum membris pronum iacuit fractis
 humeris, brachiis, capite: dirum ipsi Ciceroni portendit. tabulae
 5 aeneae ex aede Fidei turbine evulsae. aedis Opis valvae fractae.
 arbores radicitus et pleraque tecta eversa. fax caelo ad occiden-
 tem visa ferri. stella per dies septem insignis arsit. soles tres
 fulserunt, circaque solem inum corona spiceae similis in orbem
 emicuit, et postea in unum circulum sole redacto multis mensi-
 10 bus languida lux fuit. in aede Castoris nominum litterae quaedam
 Antonii et Dolabellae consulum excussae sunt, quibus utrius-
 que alienatio a patria significata. canum ululatus nocte ante pon-
 tificis maximi domum [Lepidi] auditi; ex his maximus a ceteris
 laniatus turpem infamiam Lepido portendit. Ostiae grex piscium
 15 in sicco reciproco maris fluxu relictus. Padus inundavit et intra
 ripam refluens ingentem viperarum vim reliquit. inter Caesarem
 et Antonium civilia bella exorta.

69 [129]. C. Pansa A. Hirtio consulibus Caesari cum ho-
 nores decreti essent et imperium adversus Antonium, immolanti
 20 duplicia exta apparuerunt. secutae sunt eum res prosperae. C.
 Pansae consulis statua equestris aenea domi corrui. equus phal-
 leratus in ipsius conspectu festinans concidit. quidam e populo
 sanguine victimarum prolapsus respersam cruore palmam profi-
 ciscenti dedit. funesta haec ipsi prodigia fuerunt, qui mox ad-
 25 versus Antonium dimicans in mortem vulneratus est. armorum
 telorumque species a terra visa cum fragore ad caelum ferri.
 signa legionis, quae relicta a Pansa ad urbis praesidium erat,
 veluti longo situ inductis araneis † venire visa. fulmine pleraque
 icta. in castris Caesaris luce prima in culmine praetorii super
 30 linteum consedit aquila, inde circumvolantibus minoribus avibus
 excita de conspectu abiit. oraculo Apollinis vox audita 'lupis rabies
 hieme, aestate frumentum non demessum.' veteranis Caesari con-
 sulatum flagrantibus terribilis tumultus Romae fuit. Caesar cum
 in campum Martium exercitum deduceret, sex vultures apparue-
 35 runt. conscendenti deinde rostra creato consuli iterum sex vul-
 tures conspecti veluti Romuli auspiciis novam urbem condituro
 signum dederunt. reconciliatione inter Caesarem, Antonium, Lepi-
 dum facta foeda principum fuit proscriptio.

70 [130]. M. Lepido L. Munatio Planco consulibus mula
 40 Romae ad duodecim portas peperit. canis aeditui mortua a cane

2. *plebiscito*] hierher gestellt nach Scheffer; Ald.: *Cicero plebi-
 scito ante.* — 39. *L.*] eingefügt nach Oudendorp.

nocte. nocte lux in
 eretur. in Mutina
 sua sponte con
 lae victimis exp
 max in unum a
 sacrificaretur. et
 Cassium et Brutum
 gesta. notatum es
 propter dissensio
 num est mortuus
 absulerat, annu
 Brutus consul
 Cn. Octavius L.
 Julius . . . Br
 tonium moleanti
 cus aruspicum
 et aliarum alit
 vis exercitum
 retur, ferculo
 ream imposuit.
 porta occurrit,
 ierunt.

71 [131]
 in villa Liviae, u
 caelestis a merid
 nilen nocte fecit
 de caelo tacta.
 M. Lollius legati
 72 [132]
 in castris Drusi
 Teeli castrorum
 que tentorio lan
 insidias subiecit

13. Cn. Octavius
 plebi] nach Scheffer
 rum] John Wern

Tit. L. L.

tracta. nocte lux ita fulsit, ut tamquam die orto ad opus sur-
 geretur. in Mutinensi victoriae Marianae signum meridiem spec-
 tans sua sponte conversum in septentrionem hora quarta. cum
 haec victimis expiarentur, soles tres circiter hora tertia diei visi,
 mox in unum orbem contracti. Latinis in Albano monte cum 5
 sacrificaretur, ex humero ac pollice Iovis cruor manavit. per
 Cassium et Brutum in provinciis direptionibus sociorum bella
 gesta. notatum est prodigii loco fuisse, quod P. Titius praetor
 propter dissensiones collegae magistratum abrogavit; et ante an-
 num est mortuus. constat neminem, qui magistratum collegae 10
 abstulerat, annum vixisse. abrogaverunt autem hi: L. Iunius
 Brutus consul Tarquinio Collatino, Ti. Gracchus M. Octavio,
Cn. Octavius L. Cinnae, C. Cinna tribunus plebis P. Marullo,
 Tullius * *. Bruto et Cassio pugnam adversus Caesarem et An-
 tonium molientibus in castris Cassii examen apium consedit. 15
 locus aruspicum iussu interclusus interius ducto vallo. vulturum
 et aliarum alitum, quibus strages cadaverum pabulo est, ingens
 vis exercitum advolavit. puer in pompa Victoriae cultu cum fer-
 retur, ferculo decidit. lustratione lictor perversis fascibus lau-
 ream imposuit. Brutianis in proelium egredientibus Aethiops in 20
 porta occurrit, et a militibus confossus. Cassius et Brutus inter-
 ierunt.

71 [131]. C. Furnio C. Silano consulibus sub Appennino
 in villa Liviae, uxoris Caesaris, ingenti motu terra intremuit. fax
 caelestis a meridiano ad septentrionem extenta lucem diurnae si- 25
 milem nocte fecit. turris hortorum Caesaris ad portam Collinam
 de caelo tacta. insidiis Germanorum Romani circumventi sub
 M. Lollio legato graviter vexati.

72 [132]. Paulo Fabio Q. Aelio consulibus in Germania,
 in castris Drusi examen apium in tabernaculo Hostilii Rufi prae- 30
 facti castrorum consedit, ita ut funem praetendentem praefixam-
 que tentorio lanceam amplecteretur. multitudo Romanorum per
 insidias subiecta est.

13. *Cn. Octavius L. Cinnae*] eingefügt nach Rubino. — *tribunus plebis*] nach Rupertus; Ald.: *p. tarquinius*; vgl. Kap. 24. — 32. *Romanorum*] Jahn vermutet *Germanorum* (und 33: *subacta*); vgl. Plin. 11, 55.